

MOSCOVA.

140

regrinis Legatis indulserit. Tres ferme Vrbis partes duobis alluuntur fluminibus, reliqua vero latissima fossa, atque ea multa aqua ex ipsis amnibus corrivata, præcingitur. Vrbs etiam ab adverso latere alio flumine, quod *Lauſa* dicitur, munita est, id pariter in Moschum paullo infra Vrbem evolvitur. Distat hæc Cracovia Poloniae Metropoli Milliaribus 320. Eam vero anno 1515 Lxxi Tartari Præcopenes tota funditus exusserunt magna multitudine, in tam populosa Vrbe fumo exstincta, in ipsa Dominica Ascensionis die. Domus ejus universim paullo ante illud incendium ad 4500 fuere numeratae. Sunt porro in Moscovia præter Metropolim de qua jam diximus, Vrbes, duæ quidem Archiepiscopatus, octodecim autem Episcopatus dignitate nobiles. Archiepiscopales sunt *Rofšovia* (*Roſtow*) & *Novogrodia*. Hæc non multis ante annis totius Moscoviae Caput fuit. Perpetua quasi hyeme & tenebris longissimarum noctium premitur: nam Polum Arcticum ab Horizonte sexaginta quatuor gradus elevatum videt, sex fere gradibus ipsa Moscha ab Æquatore remotior, qua Cœli ratione solstitii tempore propter exiguae noctes, continuatis fere Solis ardoribus astuare perhibetur. Episcopales sunt *Corsira*, *Rečania*, *Columna*, *Susdalia*, *Casanum* (*Cačan*) in Volgæ ripa a quo Cazaniorum Horda nomen ducit, distat a Volgæ Oltio Caspioque Mari quingentis millibus passuum. *Volochda*, *Tweria*, *Smolensko*, *Pleskovia*, *Staritia*, *Sloboda*, *Jaroslavia*, *Wolodimiria*, quæ urbs quoque Regia nomen adeptæ est, eaque ad Ortum Solis ducentis amplius Milliaribus a Moscha distat, eoque sedem Imperii ab strenuis Imperatoribus necessaria ratione transflatum ferunt, ut ex propinquo, quum tum bella continenter cum finitimis gererentur, paratiora praefidia adversus Scytharum irruptiones opponerent. *Mosaysko*, *Urbs S. Nicolai* (*S. Nicolas*) *Sugana*, *Vſting* & *Gargapolia*. Emporia totius Regni celeberrima sunt, *Astrachan* ad Mare Caspium, quo Merces Persarum & Armeniorum deferuntur: & Vrbs *S. Nicolai* ad quam Angli & Hollandi navibus commeant, ac Pannos aliasque Merces important, quæ hinc Vologdam transferuntur. Est & supra Casanum centesimo & quinquagesimo milliari ad ingressum amnis *Sura* *Suricum* Opidum, a Basilio conditum, ut in ea solitudine Mercatoribus ac Viatoribus, qui de rebus *Tartaricis* ac ejus inquietæ gentis moribus proximos Finium Praefectos certiores reddunt, certa & tuta mansio cum tabernis Hospitalibus statueretur. Sunt & aliæ Vrbes ac plurima minorum gentium Opida quæ brevitas studio omitimus. Latatur Moscovia Fluminibus plurimis, inter ea agmen ducunt *Boryſthenes*, cuius fontes Herodoto ignoti, sunt ad pagum Moscoviae *Dniepersko* in silva *Wolkonski*, unde per Lithuaniae & Russiam defluens, Smolensko Opidum & Kioviam præterlabitur: postea circa Chmielnicco recipit Flumen *Bog*, ac tandem in Euxinum Pontum exoneratur: longitudo ejus est plus ccc Milliarium Germanicorum. *Turuntus* qui & *Rubo* ac *Dwina*. Hic haud procul a fontibus Boryſthenis ortus, ad Rigā Livoniæ se in Mare Balticum exonerat. *Rha* qui & *Volga* & *Edel*; ortum habet è Lacu cognomine, qui xxv Milliaribus a Moschovia absit versus Lithuaniae. Hic cornutis errans flexibus, multisque receptis fluminibus, in Mare Caspium Ostiis Lxx influit. *Tanais* vulgo

Flumina.